

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Conradi Samvelis Schvzrfleischii Opera historica politica**

**Schurzfleisch, Konrad Samuel**

**Berolini, 1599 [i.e. 1699]**

LXXI. De Abdicat. Principum

**urn:nbn:de:bsz:31-102564**

manicae ad A. 1665. Inter caetera Maximiliani laudatur epistola ad Paulum Lichtensteinium Baronem A. 1511. 16. Septembr. scripta: Goldast. part. 13. Der Politischen Reichshandlungen: literarum curam approbavit literis ad Bilibaldum Pyrckmayr A. 1514. 20. August. exaratis: quae extant apud eundem Tom. III. Imp. Const. ad A. 1514. Quae ad forum Teutonicum pertinent, exquisitissime recensuit Hermannus Conringius insigni de Origine iuris Germanici libro. Reliqua, et quae haec proxime contingunt, Caroli V. successorumque acta peculiari dissertatione in posterum complectemur.

## LXXI. DE ABDICAT. PRINCIPVM.



Arduum Principis munus, et grave iis, qui regunt: salutare contra his, qui reguntur. Sed ut alibi, ita hic studia mortalium diversa. Sunt, qui suscipere recusant: sunt, qui susceptum nolint retinere. Illi defugiunt onus, quia imponendum. (a) Hi, quia senserunt, impositum fuisse. (b) Vtrique aestimant curarum molem, atque adeo optant quietem.

(a) De Tiberio nil memoro. Simulabat nolle: revera volebat. Tac. A. 1. Quinimo recitandus hic Helvius Pertinax est, cui ex eo nomen haesit, quod repugnaret S. C. quodque declinare imperium mallet, quam suscipere. Suscepit vero tandem, cessitque eligentium postulatis. A. VI. in hoc Imp. Decius adeo renitebatur, ut strictis ensibus cum eo agerent milites, id est, cogere repugnantem. Pomp. Laet. R. H. Comp. in Philipp. Non secus de Iuliano traditum. Recusanti imperium stricti enses intendebantur. Praeter Iulianum memorandi Iovinianus, Valentianus, Michael Caropalates, alii. Mechtildis singulare hic exemplum. Prorsus invita regnavit, et cogentibus se imprecata divas est. Vid. Pasquierius les recherches de la France. De Carolo Crasso instauratore imperatorii dicitur inter Ostrofrancos (ita appellat Vrspergensis) refert Frisingensis multum iisque repetitis obtestationibus tandem eo adductum, seu, ut ipse scribit, precibus pulsatum. A. 881. Eodemque spectat Henricus Auceps, prius ab excessu Carolingorum, Saxonum Francorumque Rex. De quo Aut. Compilat. Chron. A. 924. haec commemorat. Ille, inquit, dicitur fuit Auceps, quia dum caperet aviculas, renitens electus est. Conf. Siffrius Presb. ad A. 924. Caeterum hi recusarunt aliquantisper, cessuri, cum essent, qui acrius instarent. Hinc Aut. Mag. Chron. Belg. pag. 75. ait: Regiae dignitatis culmen prius humiliter declinavit: at paulo post non ambitiose suscepit. Observanda hic in transcurso vox regiae dignitatis. Imperatoriam enim non habuit, neque habere voluit. Quin speravit oblatam. Causam exponit Vrsper. A. 923. Add. Mart. Polon. Chr. A. eod. Recentius exemplum superioris acvi est Fridericus sapiens, gloria suae gentis, Electorumque Saxonorum decus, qui nil imperii causa recusavit, saltem imperium suscipere abnuvit, abnuendo etiam constans ac placidus.

ne stultendi nescius fuit. Vid. *Erasm.* l. 13 ep. 4. *Secutus* ita exemplum *Otonis*, Patrie *Henn. Aucupis*, est, de quo ap. *VVitichind. Corbeiens.* A. 1. p. 6. *Cusß.* in *Conrad. et Sleid.* lib. 3. de *Monarch.* De laude eius extat apud *Aut. rerum memorabil. Par alip. ad Vrsberg.* A. 1519. Vnum subit mirari hic, nescio magis propter invidiae, an odii minime laudandi exemplum. Auferre hanc gloriam Principi, et delere ex annalibus *Funcctianis Hispani* nuper sunt conati. Sed deleant, expungant, expurgent. Praedicabit *Germania* Principem, et nunquam conticescet de veritate huius facti. Laudandus hic *Gabrielis Bucelini* candor, qui dum alibi nostros praeter meritum sugillat, iam victo veritate animo, laudat testimonium *Erasmi.* *Annal.* p. 130.

(b) Argumento sunt *Diocletianus* et *Maximianus Herculeus*. De utroque *Eutropius Brev. Hist. Rom.* l. 9. et *Idacius*, in *Chron.* quod primo a *Scaligero*, mox ab *And. Schotto* editum correctumque est. De *Carolo V.* meminerunt *Emm. Metteranus* lib. 1. *G. Ens Maurii* ad. l. 1. *VVilhelmus Godolevatus* in narrat. de abd. *Carol. V.* *Famianus Strada* ignotum Principum aulae prodigium vocat. Sed quomodo ignotum, quod multis Principibus cogitatum, nec paucis impletum est? At vero aequum est, hic figuram aestimare et dicendi colorem.

§. II. Nomen quod argumento accommodamus, tritum antiquis, et notione *ABDICANDI* expressum. Hinc prodita formula et veterum fastis inserta: *ABD.* (e)

(c) *Hubertus Goltzius Thesaur. rei antiq.* p. 182. *Ritus, Ceremoniae* non apud omnes eadem. *Plato* autor est, designari consuevisse per *Praeconem*. Huius formulas componunt veteres. Sufficiat nominasse *Quintilianum* et *Valerium Maximum*. Exemplo *Manlius Torquatus* est. Cum *Silanum*, inquit, filium meum, pecunias a sociis accepisse mihi probatum sit, et Republica cum et domo mea indignum iudico, protinusque e conspectu meo abire iubeo. Non minus illustre patris abdicantis exemplum, quod apud *Ann. Senec.* reperire est *Controv.* 1. Ex recentioribus allego *Barnab. Brissonium*, acri magnoque iudicio *Virum*, et incomparabilem illum *Andream Tiragvellum*, optatum quondam *Theodoro Zyvingere Ducem*. *Quadrat* instituto nomen, significatio multum est diversa.

§. III. Ex his intelligas facile, cuiusmodi sit abdicatio, quae spectat ad hanc curam: Alibi familiam respicit et larem; hic sceptrum: fasces, summam in Republica dignitatem. (e)

(c) *Expedi* referre in praesens, rationem abdicandi non aliter constare hic, quam si sensus eius pertineat ad universos. Nam quae singulos attingit, privati imperii finibus continetur. *Magistri sapientiae* hac incedunt  
via

via. Nominant patriam potestatem. Hanc a iurisdictione in suos competente derivant. Causam ex gravitate in aestimatione morum sufficienti iudicant. Ad quod merito distigunt eam, quae mentione Imperii civilis, tanquam contrarii sui, aut, sicum ipsis loquar, notione privantis definitur. Documento Augustus est, qui cum reddere Purpuram Remque publicam destinasset, abdicationis eius, quodam volumus, significationis fuit. Svet. in Aug. cap. 28. Nec multum abiecit Henrici vulgo II. exemplum. Qui ponere Imperium paratus, obsequitur tandem dissvadenti Richardo, Viridunensi Abbati, retinetque adeo, quod dimittere decreverat. Vid. Vet. Chronica, et ex iis Aut. M. Chron. Belg. A. C. 1014. Finge adeo regnare Flavium. Decedat a fastigio regis. Deserat stationem, et acerbam civibus vocem relinquat: ABDICABO. Roget, obtestetur populus, ne abdicet: abdicet tamen; abdicet vere, abdicet plene. Flecti nolit. Flecti non possit. Iam privatus erit, sed ultra meram privati conditionem. Veteris vestigia sanctitatis, et priorum memoria beneficiorum hoc exigunt, hoc iubent. Potestas sacro sancta adsuit. Honor etiamnum debetur.

§. IV. Sed rem a capite arcessamus. Vetus abdicandi institutum est. Exempla identidem nova, Videamus de iure. De hinc causas, momenta, rationes expendamus.

§. V. Tenetur Respubl. Principi, Princeps Reipubl. Illa ad obsequium, hic ad defensionem. Munus utrinque sanctum, et nexus arctissimus. Maior tamen civium cum Principe, quam Principis cum civibus. Spectemus fontes. Occurrit vinculum dispar. Abire Imperio, Principi integrum, et mero naturae iure concessum. (d) Subditis in parte obsequii nil tale licitum est. Eximere se Imperio, exuere Principis iussa et foedare parendi legem nunquam possunt. Obediunt Principi propter DEUM: propter Conscientiam, quae divini cuiusdam coelestisque dictati in animos humanos demissi praesentissimum argumentum est.

(d) De ratione abdicandi merum ius naturale nil disponit, nil praecipit. Saltem concedit, (parum enim hic permittit) facultatem abdicandi. Et vero concessio haec prudentia dirigitur, velut Duce. Circumstantiis, ut saepe diversae emergunt, instatitur non raro. Causa sane gravissima esse debet. Dignitas, fides Principis nec per latus peti. Amor quietis utilitati publicae praesferendus. Cuius quidem omne momentum in consociatione civili positum est. Sed senium obtenditur atque aetas ingravescens. At vero abdicationi non sufficit. Quin meminerit Princeps, Principem stantem oportere

portere mori. Privatos fortasse corpus, se Remp. curare debere. Haec dignitas, hoc munus Principis est. Hos adeo impleat, et vivat in exemplum suis, et praestet Reipublicae securitatem. Ut satis iam obvium sit, ius naturae, quatenus a ratione civili informatum, svadendi quoque notione hic exserere vim suam, et suggerere illud: Imperabis. Hinc sequitur, ut facile ne abdicet, abdicet, inquam, citra gravissimam causam, et inevitabilem adeo abdicandi necessitatem. Forte enim evenire usu posset, ut abdicatio ad Reipublicae perniciem spectaret: Saltem, ut inconstantiae Principis praebere exemplum. Maxime situnc a Republica discedere vellet, cum Reipubl. maxime esset consulendum. Cuius documentum rei nuper Imperator Moschorum fuit. Hunc cessurum Imperio fama tulit. Iamque tradere filio purpuram atque insulas destinabat. Sed mutatus ex lege Prudentiae animus, servatus Imperii honor est. Perinde quasi ex specula prospexisset futuros motus. Scelus hodieque noscitur in Stephano Rásino, vel ut alii nobis scribunt, Robácino. Obscurissima hominis initia, imagines, claritudo nulla. Hic inqvies animo et occasione intentus, ultionisque avidus se ditionem Czari periculosam, posteris non sine aeterno auctoris probro memorandam, concitavit. Dignus, cuius tam foedus exitus sit, quam foeda initia fuerunt. Auguramur illi (et augurari atque est) cum turbidarum rerum finem, quem habuit nuper Ronvrius Chappellius, rebellis non ita pridem in Vivaretzii montanis. Supplicium fuit, quale olim Metii Suffetii apud Romanos. Sed redeo ad abdicationem. Agitabat eam superioribus annis Iohannes Casimirus. Obloquebantur Poloni et desuadebant. Multi indignabantur. Caeteri stupebant. Omnes acre ferebant. Tandem excusanti et multis obrestationibus nuenti ad sortem privati est consensus. Sed id cognoscere est ex monumentis rerum publice gestarum. Caeteroquin dico: mero naturae iure: ut innuam, tantisper huius aestimari vim, dum lege aut pacto non impediatur huius concessionis effectus. Esto Aurelius. Evehatur ad regnum electioni innixum. Dent, dicant Legem Ordines de non abdicando. Annuat, assentiatur Princeps. Stabit pactus conventis. Atque hic se exserit regula iuris naturae, cuiusque non svadentis, nedum concedentis solum, sed praecipientis, sed iubentis, suum cuique tribuere. At vero id suum cuiusque est, quod quaesitum ex pacto est. Pactum ergo servari iuris naturae est. Cuius non debet Princeps oblivisci. Tantum abest, ut agnoscere non debeat. Quid si vero obliviscatur? Quid si non agnoscat? Monendus, obsecrandus est, ut aestimet, ut agnoscat. Quid sine tunc quidem velis? Nullum tribunal inter homines. Deo et foro interiori relinquendus est. Addo hic eousque praesumi pro libertate abdicandi, donec contrarium eius non ostenditur inductum, idque sive sanctione quadam regni sive pacto. Hunc ad modum Viosnivicio, Poloniae Regi, adempta nuper potestas abdicandi est. Edita pacti formula: Approbata a Rege, obligabit Regem, donec concessurum satis. Nempe hoc interesse sua, interesse publicae salutis, Ordines iudicabant. Sed quid si interea Rex (id vero detestamur) regnandi mali impar fieret, et virinum expertus, ut olim Carolus Cmsus? Aut regnum retinere vult, et relinquendum est, contra quam accidit Ca-

rolo Crosso, et nuper in Lusitania Alphonso, Iohannis Bragantini filio: aut deponere gestit, et sunt, qui indulgendum putent ex causa publici boni. Cum rationes civiles aegre hic admittant legem, quod tanta rerum saepe varietas sit et vicissitudo, ut includi non possint et figi. Sit Licinius. Administret regnum legibus patrii fundatum. Viribus postea destruat ad ardua Imperii necessarius. Senio, morbis conficiatur: nec convalescere possit, nec mori. Statuat apud se, abdicaturum: abdicet etiam. Num valebit Abdicatio? Vix remorabitur pactum de non abdicando. Vt quod adversetur naturae huius aelus, cui aut lex non dicitur, aut legis titulo nil addi fortasse potest. Si quid addatur, aestimari potest quasi non additum, et, ut formula praefert, haberi pro non adiecto. Quod quidem nullam difficultatem habet, si consentiant in abdicationem, qui impediendae eius potestatem habent, sive ex pacto, sive ex alio titulo. Sin dissentiant, in foro iuris naturae et consensus Gentium standum pacis conventu est. Innitendum legibus, acquiescendum institutis Imperiorum. Nulla hic exceptio datur, nulla excusatio proficit, nullum effugium patet, imo necrima quidem. Servandum, quod promissum: afferenda veritas conventorum: tribuendum cuique, quod cuiusque est. Nisi tribuatur, iniustitiae argumentum est. Subtilitas de non adiecto non expedit interius vinculum non solvit sanctiorem illum nexum. Est Princeps in Republica Deus: est Reipublicae Pater. Videat, ne quid desinet, nedum agat, quod cum alterutrius iniuria sit coniunctum.

§. VI. Quod mores Gentium spectat, nullum nefas, abdicare. Vna et in unum confessio, Principem non posse cogi. Si discedere a Regno velit, discedere impune: (e) Sin retinere praeoptet, exui non posse.

(e) Abdicare inter Gentes meri gentium arbitrii est. Qui formulae scholae retinent, iuris Gentium voluntarii inde exemplum sumunt, innuentes, iuri Gentium necessario, quod appellant, hic nullum esse locum. Sed bene hi sentiunt. Minus accurate loquuntur. Certum aliqui pendere abdicationem ex nutu Gentium universarum, singulas tamen, et quatenus societate civili discretas, inkibere legibus concessionem posse, eoque nuper inhibuisse Rempublicam Poloniam. De caetero duplex hic via. Aut experimento discimus, aut ratione. Illo constat, abdicationem esse frequentissimi exempli. Ac id facile noscendum in veteri Imperio Romanorum. Tum nostrati Germano-Romano. Praeterea in regnis sive cultis, sive barbaris. Eo referimus Hispaniam, Poloniam, Svediam. Addimus Italiam et multos Principatus. Exiit sacrum purpurum, sive galerum suum Ferdinandus I. Medicus: Epistolam eo scriptam reddidit G. Ens Sp. 55. Exiit Iohannes Casimirus, et tandem exiit ipsam diadema Sarmatici regni. Abdicavit se Pontificatu Gregorius XII. Chron. Citizenf An. 1416. Bruno apud Huld. Mut. l. 16. Hucque pertinet Iaponia. Exemplum in Iaponensium Dairis est. Taicosamma, in quo ut Dairorum finis, ita Imperatorum Iaponiae initium est, successit Dairo sponte se abdicanti. De caeteris maxime berilibus Imperiis eo minus ambigo, quod, cum omnia possint, haud dubie possunt abdicare. Documento erit

Rex

Rex Guineamus, qui in mera mancipia dominatur. Subditis nil ut suum, omnia Regis arbitrio habentibus. Er. Francisc. in Flor. Guin. Amer. p. 15. Quid iam, quae, est, quod impediatur regem, quo minus regnum, si velit, dimittat? Quaequam observo, rarius in dominatu, quam Principatu abdicandi specimen esse. Causa ab intimis berilis Imperii & visceribus depromenda, et profundiori quodam arcano dominationis. Eadem in aliis regnis diversitas se offert. Nec enim tam frequens abdicandi exemplum in regnis, quae ex successione deferuntur, quam in iis, quae electione. Neque procul vero est, et minime vacat exemplis, crebrius cedere Imperiis, qui mero electionis iure imperant, quam qui successione electioni immixtam habent. Quod ad rationem pertinet adstruendae abdicandi libertatis, minime arduum est, adstruere partim ex praesumpta libertate, partim ex suprema Principis potestate, quatenus a pacto aut lege immuni. Modo iusta adsit causa, et cum abdicanti honesta, tum Reipublicae nullum periculum allatura. Provisum id Sarmatis, non passuris imposterum diffundi abdicantium exempla. Sive quod patientiam abdicandi tandem subire indignatio videretur, sive quod in perpetuo Regis Imperio spem ponerent conservandae tranquillitatis. Praesertim eo tempore, quo nihil quietum a Cosacis, nil immotum a Turcis Tartarisque relinquitur facile.

§. VII. Caeteroquin ut regna et Principatus, sic abdicatio variat. Nam aut Imperia respicit, quae successione constant, (f) aut quae electione deferuntur. (g) Vtrorumque diversae leges, nec idem fundamentum. Illis Reges nascuntur, his aestimantur, antequam Reges. In fastigium recepti necessario retinentur. Vtrique in eo pares, quod possint abdicare. Disparis, quod non eodem ad posteros effectu.

(f) Regna, quae successioni, eadem iuri quae sita sunt innixa, eoque ita affecta, ut habeant successores, non requirant. Aget cum effectu, qui pro se abdicabit. Qui pro posteris, nil aget. Partum his ius nulla iuris specie auferri potest. Ratio haec est exigenda ad exemplum, imo hoc ad rationem. Dabo Albertum Thuringorum Principem. Is abdicare se iure, cedere Thuringiae Principatum Adolpho Caesari, Fridericum ac Theodoricum (aliis Titzmannum, Aut. Chron. Thuring. Tyzemannum) excludere ac privare adeo successione aestimabat. Constitutum successione ius extinguere non poterat. Aestimabat hoc sapientissimus Mysorum Princeps Ditericus, Alberti frater. Vellem aestimasset Adolphus, nec bellum sibi exitiosum constisset. Mansisset certe, qui fuerat, et stetit in fastigio Augustae dignitatis. Vid. Paul. Lang. in Chron. Citizens. ad A. 1294. et Chron. Landgrav. Thuring. cap. 7. 8. Tom. 7. Hist. Aug. in Adolpho. Aliud desideras? Fingam, quod possit extare. Nisi extat tamen. Esto Austriacae Ducatus. Abdicet Dux pro se. Ferri poterat. Sed abdicet pro Nepote, pro Agnatis. Aliud dicam. Negabo, pernegabo, posse abdicare. Explicabo causam. Hereditarius Ducatus est, eoque ad posteros et agnatos transiturus, donec posteris atque agnatis erunt. Ex vetustioribus repeto Lotharium Imperatorem. Carolingus erat, expecebat religiosi Ordinis societatem, subeunte animum caedio imperandi.

D d d d d 2

Abdi-

Abdicabat se Imperio, spem succedendi non adimebat filio Ludovico. Vetabat id patris affectus, maxime ius Carolingorum stirpi quaesitum. Nec hiscere debebant Carolenses, quibus ex divisione cesserat Francia occidentalis, proprio Galliae nomine insignita. Functo demum Ludovico II. erigere se Carolus Calvus et decus suae inferre genti. Nullo iure. Renitentibus ipsis Romanis atque agnoscantibus, quibus Imperium debeatur. Brevis aevi bonos, et cum Autore suo collapsus, et ne quidem ad Filium eius Ludovicum Balbum delatus.

(g) De Regnis electione constantibus multo secius iudicandum. Si tamen certum sit merae electionis iure contineri. Nam si successioni immista sint, eoque aliquid ex iure haereditatis trahant, multum abest, quo minus una utrorumque regula constituatur. Exemplum inter exempla erit Bohemiae regnum. Erant Privilegia Ordinam, erant iudicia electionis. Erant vero quoque argumenta Successionis. Testantur id Regum superiorum tabulae, testantur successionum pacta. Ponam vero hoc Regni statu se abdicasse Regem. Abdicationis effectus non potuit redundare in haeredes. Multo minus extendi ultra abdicantem. Non fundi ultra, non porrigi latius. Quin stare hic, et contineri ius finibus, quibus continebatur, qui abdicabat. Ut hinc intelligat, nefas fuisse, vel cogitasse de regno Regi abrogando. Abdicare se Rex poterat. Invito, et hoc abrogare est, auferre nemo, nec Ordines poterant. Neque vero illa abdicatio detrimentum asserere haeredibus potuisset. Ius enim potiori parte haereditarium aeterna lege ad posteros transmittendum fuisset. Quod hodie eo minus dubium, quod veteri iuri novus iuris titulus, id est belli, accessit. His rebus factum, ut des. Et ret ab ingenio antiquo, nec alia, quam mere haereditaria lege censetur. Sed hoc plus satis ostensum. Videamus de Imperio Romano. Fixit hic sedem aeternitas rerum, fundavit hic Deus Augustum decus, vindicavit honorem nostrae genti. Divinum hoc corpus est, eoque exteris tacite verendum. Libratum quidem saepe variis casibus, nunquam tamen ita concussum, ut subverteretur: nedum ut periret. Nempe habet augustae dignitatis accessum Germania: habebit, donec Germania erit. At qui vero non leve hic argumentum, investigare utrum Imperator possit abdicare: tum, si abdicet, quousque pateat abdicacionis ille effectus? De priori illa ne dubitandum quidem. Licet id Imperatori, Imperatorum exemplo. Ex non Christianis iam recitavimus plerosque supra. Inter Christianos quoque antecessores non pauci. Ostrofranci allegabunt Lotharium I. Saxones Henricum II. destinatae abdicacionis documentum. Iam sceptrum purpuramque posturus erat, cum Praesul, cuius apud eum magna auctoritas erat, dissvadet institutum. Svedi Agnetem Imperatricem dicent, de qua est apud Vrsberg. Chron. ad A. 1074. Multi forte Henricum IV. Imperatorem ipsum, ut qui statuerum suarum afflictissimo Imperium filio tradidisset. Hularichus Mutius Chron. l. 16. Sed eventus docuit, coactum magis, quam voluntarium hoc abdicandi opus fuisse. Nec no-

ramur hic siue nugas, siue adulationes Monachi Nussiensis. M. Cbr. Belg. A. 1106. Haud multum diversa Leonis I. inter Constantinopolitanos fortuna fuit. Martinus Polonus in Chron. A. 462. Huc referunt Hermannum, Imperii cum vita privata commutati argumentum. Vrsperg. A. 1087. Addunt quoque Bertholdum ex Zaringiae Duce Romanorum Regem: sed non multo post reversum ad res suas. Vrsperg. p. 307. Verum enim vero hic admonendum, neque Hermannum, nec Bertholdum referri posse in exemplum. Cum discesserunt a Regno, rebellare desierunt, proprie se non abdicarunt. Minime hoc obscurum. Abdicatio renunciando iuri, quod quis in Imperio habet, inuenta induitque est. Sed quomodo se quis iure abdicabit, qui ius non habuit? Fac rebellasse aliquem Imperatori Mogolum: fac Principem Patanensem occupasse civitates Delli, Agram, primarias regni, alteram quoque eius sedem. Redeat non multo post ad sua, et Imperium fraudibus ac scelere partum ponat. Dicitur vulgo abdicare: proprie non abdicabit. Ea quidem abdicandi ratione, quae in morum aestimatione versatur. Nil secius, neque repugnante me, de Taffilletta diceres, si conscientia factorum desineret moliri dominationem, nec Africam sibi contra ius fasque destinaret, poneretque adeo Imperium inter vim ac rebellandi artes vix diu duraturum. Sed vero Sulla ante oculos est. Abdicavit se Dictatura: si abdicavit tamen, qui invasit. Simulacrum forte abdicationis est. Verae abdicationis mensuram non implevit. Nisi forte evenerit, ut purgetur corruptela et vitium, quod haeserat, tractu temporis amoveatur. Amoveri autem conventionibus potest. Et satis de exemplis. De ratione non attinet laborare. Licet Imperatori abdicare. Et iam olim Carolo V. licuit. Quod eoque intelligitur valere, dum non obstat causa, quo minus non liceat. Desumi vero haec iam a lege iam a pacto potest. Extant sane Imperatoriae Sanctiones. Harum inspicienda vis, harum indagandus sensus, ex his iudicandum, quid liceat in hac causa Imperatori, quid non liceat. Demus factam esse sanctionem (facta autem haecenus non est) demus insertum esse caput, de non concedenda abdicationis libertate. Recipiatur, approbetur ab Augusto. Cessabit facultas abdicandi, et impedietur pactis condentis. Sed eius nullum haecenus in Germania exemplum. Si esset, reperirentur, qui velent suspicari, sic forte an muniri viam ad successionem. At nollem his assentiri. Tanto minus vellem ita suspicari. Metus quoque ille sine metuendi causa est. Servat sibi Polonia electionis libertatem. Non secus, atque Germania. Legem tamen de non abdicando proxime tulit. Dicere simplicius mallet, non

praesumere Electores, eum velle abdicare, cuius salute omnium salus continetur. Quale auspiciū, talem exitum sperant, spondent sibi. Fidem fide faciunt firmantque. Consilio consilium, etiam ubi necessitas poscit, auxilium addunt. Quod si vero nihilominus contingeret abdicare: reddenda abdicationis formula Electoribus est, per Electores Ordinibus Imperii uniuersis. Sed haec nota omnia, eoque nec stylo indigent, neque nostra cura. Saltem expediāmus, quod restat, quae situm. Res suo, quod dicitur, pondere ac pretio aestimanda. Tempus, temporis acta expendenda. Sane iam ab excessu Henrici IV. mutatus Imperii status est. Nec eadem, quae Ottonis tempore, facies durabat. Ibi successio valuit, et valuit certe pro maiori iuris augusti parte. Desit successio: successit electio successioni. Nempe est quidam rerum orbis, est conuersio sicut humanarum, ita civilium rerum. Primum liberae electionis initium in Henrico V. eaque hodie in usu nostri aevi, et tot firmata Augustorum sacramentis, ac tot repetitis Imperii legibus fundata et gentis quoque nostrae ingenio maxime consentiens. Atqui nunc facile intelligas, quid dicto opus sit. Datur purpura Imperatori. Pro posteris non datur. Pro quibus non habet, pro iis non potest abdicare. Nil enim habet, quod eorum ratione sit concessum. Nil ergo abdicabit pro iis, pro quibus nil accepit. Si quid accepit, ut certe accepit decus in orbe maximum, pro se accepit. Eius, qui accepit, personam non egreditur. Nulli haeredes, ubi merae ius electionis, ubi dantur successores, non nascuntur.

§. VIII. Ac summa quidem illa potestas, quae Principes se abdicant, redditur DEO, et repetitur suae stirpi. Si capit successor, DEI beneficio capit. Neque huius origo a mortali manu. Altius extenditur, eoque nascitur in coelo, et inde deducitur in terras. Auspiciū ultra mortales habet. Inter mortales solum exercetur. Nemo mortalium hanc auferre potest, (h) quia nemo potest conferre.

(h) Recte quondam Mariae Scotae filius Iacobus VI. iudicabat, omnium DEI honestatisque reverentiam exuisse, qui statuerent de capite suae matris. Recitat verba prudentissimus scriptor Guilielmus Cambdenus, *Annal. rer. Angl. p. 466.* Nempe causabatur, neque id abhorrebat a vero, iniquissimum esse ferre sententiam de regina, ferre de legitima regni haerede, privare insuper eam successionis iure, et pro regnandi onere cruentam mercedem pacisci. Multo disertius Carolus I. Angliae Rex os oculosque intuens Praesidis in iudicio capitali Bradshavi dixit, regiam potestatem DEI donum esse, nec pendere ab Ordinibus regni, nedum eripi ab ipsis posse. Piget referre,

ferre, quid actum fuerit cum Edoardo II. Male habitus a suis, nec multo post regno pulsus fuit. Ioannes Laetus ut saepe alias, ita hic lepidum narrat aliquid et certe fabulosum, dum sponte abdicasse refert Eduardum. Autor Dissertationis de opugnanda Anglia hinc arripuit causam insultandi uniuersae nationi, et exprobrandi studium rerum novarum; Neque deesse huic instituto voluit novissimus scriptor de belli eventu inter Brit. et Batav. Sed id percensere alienum hic, neque idoneum argumento est Satis est nobis tueri sanctitatem regii nominis, tueri originem divinam supremae potestatis. Refert tamen annotari, Senatam Britonici regni Privilegiis cumulatissimum esse, et vindicare partem curarum regni, et belli una pacisque res cum rege moderari. Hinc illae superioris inferiorisque regni confessus formulae Les Seigneurs ont assentés. Les Communs ont assentés. Claudicat sane hic Claudius Salmasius nec tempora distinguit recte, nec regni formam diiudicat accurate. Asserit causam regis. Allegat, conquirat testimonia. Omnia satis pie, modo satis exquisite. Est Anglia regnum, sed non patrimonii iure, aut herili quadam ratione aestimandum. Conferunt cum Rege Ordines et decidunt: iudicant sanciantque. In arduis rebus omnibus consensum interponunt suum. Placeat, at displiceat, in Concilio referunt ad regem. Temperamentum ubique se exerit et nexus quidam arctissimus in rationibus interioribus regendi. Sed ex his existimari non debet, datum esse Ordinibus Imperium in Reges, aut sacvendi in eos potestatem. Si quid defensionis causa possunt, sistant intra hos fines, vi abstineant, regemque venerentur, ut Numen, et colant, ut Patrem. At qui nolo hic excutere superiorum temporum acta, depromi illa ex Bateo abunde possunt. In eadem causa noto Polonos ob Vladulam Lothicam, de quo vid. Neugeb. Hist. Pol. l. 3. Ungaros item ob Carolum Parvum, quicquid molliat purgetque Petrus a Revva cent. 4. rer. Hung. Verum egressi limites instituti sumus. Iam paulo arctioribus spatiis ambulandum est, idque intra metas nostrae gentis. Exauctomati saepe Imperatores et fastigio deieci. Iure, an secus, ambiguum etiam inter prudentes nostri aevi. Venit hic in mentem responsi Adolphi Nassovii. Victo eo esse se insolentius Albertus, in quoque vultu exceptum vehementius alloqui ac tractare adeo pmetur moderationis legem. Quod accepisti, inquit, Imperium, hic dimittis. Sed ferre ille iniquitatem facti paratus, et respondere ingenue ad hunc modum: Esse id situm in DEI manu. Aut. Paralip. ad Vrsberg. A. 1294. De Venceslao recitat ex Emundo Monachus Nussiensis in magno Chronico Belgico p. 328. neque vocatum, neque convictum regno Germaniae privatam fuisse. Formula diplomatis extat apud Christianum Vrsbergum part. alt. e Chronico Kongelshoviano desumpta, Paulo tamen aliter eam reddis

dit ex Goldastille sub persona Francisci Irenici script. part. 1. p. 113. censetque insuper (si censet tamen, qui dubitat) Venceslaum forsau non iniuria depositum. Sed vero exempla haec sunt, eoque non dant materiam iuris. Verumque discerni oportet, priusquam decernatur in hac causa. Nobis aeterna regula, solo eius auspicio adimi posse maiestatem, cuius benignitate concessa ipsa fuit, nec modo tunc, quum uni concessa soli atque adeo ex asse, sed etiam quum concessa pro parte est, eoque ex semisse, et uotione habendi diuisim. Unum addo, quod pertinet ad detestationem Pontificii exempli. Dedit hoc negotium Gregorius VII. Vir prociatissima audacice, et stupendae obstinationis. Is ut strueret ad dominatum viam, diploma prorsus execrabile fecit, et saevit diris fulminibus in Henricum IV. Verba bullae, quam excois iste Pontifex vulgavit, plena malignitatis atque iniuriarum. Huic tantummodo, inquit, communionem reddidi, non tamen in regnum, ex quo eum in Romana Synodo depulem, restitui. Vid. Voss et H. Murus ex eo in Chronic. l. 15. Quot literae, tot scelerum notae. Hanc gratiam rependit Pontifex DOMINO suo BENEFICIARIO, Domino Romae, Domino Pontificum Romanorum. Vindicat hoc nefas, Caesares, et instaure ius antiquum. Patuit Italia Carolo V. Neque vobis interclusa est. Cessit quaedam Pontificibus Henricus V. Augustus vester Antecessor. Sed non in praedictum supremi vestri iuris. Saluum id vobis etiamnum. Minimum cliens beneficiariusque vester Pontifex est. Caeterum quae intersunt Philosophiae, quae versatur circa mores, repeti aliunde possunt. Multum in hoc argumento est Iohannes Henricus Boelerus. Nos de eo differemus alio loco, idque sepantim, et adeo cum cura.

## LXXII. MUCIANVS AVCTOR.

### PRINC. CONSULENS.

**P**lerumque homines fortunam accusant, dum ipsi erroris arguendi sunt, quod multa fortunae permittunt, nec futura non modo non sapienter provident, sed praesentia etiam non recte expendunt. Huc spectabat, huc sua omnia referebat Svetonius Paulinus, cui causa potius consilia cum ratione, quam prospera ex casu placebant, apud Tacitum Hist. II. 25.

§. II. Erravit Demosthenes, cum sua et superiora tempora non distingueret, et pravo studio tantum in praeteritis insisteret, neque consilia, ut par erat, rebus praesentibus accommodaret. Eide quidem et amore in Athenarum rempublicam cum Themistocle olim certare potuit, sed in ea tempora incidebat, quae, mutata reipublicae facie, alium agendi suadendique modum poscebant. V. oratio Demosthenis de corona, et Plutarchus in Demosthenes.

§. III. Contra faciendum sibi putavit Licinius Mucianus, qui ut consilio et prudentia valuit, sic apte iudicavit, et dubitanti Vespasiano opportune suavit, age-